

ea amnes præter unum Rhodanum, neque multi excurrant. Quia tamen confessione omnium sunt profundissima, quam ulla alia maria, hæc sola fuerit causa, cur non æstuent. Hæc de maribus quæ non æstuant, cur non æstuent dicta sunt. Sed ea quæ æstuant, cur alia magis, alia attolluntur minus. Quatuor sunt, maria quæ omnium maximæ attollantur. Unum, quod Europam ab Herculeo freto in extera parte circumfluit. Quod Lusitanum, Cantabricum, Aremoricum, et Gallicum, et Belgicum et Britannicum, et Germanicum, per littorum partes nuncupant. In orbe vero novo Australis Oceanus esto secundus. Cambaicus, et Indicus, quia continuati, esto tertius. Quartus is qui Taprobanam circuit. Ut a postremo incipiamus, refert Plinius circa eam insulam mare interesse vadosum, senis non amplius altitudinis passibus, esseque perviride et arboribus fruticosum, ut iubas earum, gubernacula deterant. Et recentes authores aiunt, ob vada brevia, quotidie dilatate fines, mari recedente. Quæ res ex Io. Barro fit clara. Ex qua historia et superiore, colligimus, sicuti quæ maria ob profunditatem non intumescunt, ita quæ brevissima habeant vada, maxime omnium intumescere. A contrariis enim causis, recta ratione, contrarii proveniunt effectus. Illud addamus quod experientia docet, quocumque in loco, vel aqua, vel mare in canalibus, in Syrtibus incurrens, iis impeditur, quasi ita ardentius factum concitatur, et citatius, et velocius fertur. Ea velocitate maiorem aquæ vim secum trahit, et ea magis attollitur. Hac eadem de causa maximopere turgescit, in Cambaico littore quia vada ita brevia sunt et impedita ut in refluxu mare multa milliaria retrocedat, et fundus denudetur. Hoc ipsum, et in Indico fit. Id ipsum referunt fieri ad Panamam in Australi Oceano, ubi recurrente mari per duas leucas, et littora, et insulæ quædam denudantur, et Syrtes. Igitur ex tribus hisce littoribus vadosis, certum fit mare plusquam alibi crescere in aperto. Idem eadem de causa fieri existimandum in Europeo quem diximus Oceano. In quo constat, brevia esse littora, quamvis minus, quam tribus illis, ideoque minus quam illa attollitur. Sed in Anglico canali, ubi profunditas minor CXLIII est pedum in medio, cur tantopere intumescit? Certe in Belgio ex Sagri, aliorumque relatione, multa sunt brevia, multæque Syrtes. Quod ad rem confirmandam facit. At si in medio, ut in littoribus attollitur in causa fuerit, quod canalem magno impetu citatissimeque ingreditur, et obiectu ab utraque parte littorum, cum dilatati nequeat, in altitudinem crescere habet necesse. Hic ergo præter vada, duæ causæ sunt aliæ, impetus ab aperto ingens, et littorum angustia. Eadem hæ causæ sunt, cur in arctis Selandiæ et Hollandiæ canalibus, et sinibus tres etiam pedes altius attollatur, quia celeritate maiore, maiore copia ingressum, necessario assurgit magis. Ad Bristolum in Cornubia, ob easdem angustias maiores, et brevia, et maiorem impetum, et molem Oceani insequentis maiorem, ad sexaginta usque pedes intumescit. Et in Armorico, ad S. Malo, ubi apertæ fauces in angustissimos canales desinunt, et defluxui recto Oceani ingentis obiectos, etiam ad pedes increscit XC. Experimenta igitur hæc altitudinis æstus docent, tres verissimas præter salsedinem, esse causas, vada brevia, et impetus Oceani ab aperto, et littorum coarctatio, ubi sit profundior observarunt nautæ, ubi mare Syrtibus, et canalibus cæcis, et quos vocant bancos fundi assurgentis, tum et velocius currere, et altius insurgere, quia ipsis quasi superequitat. Ubi vero inter littora eminentiora et angusta arctatur, velocitatem quidem intendit, sed non valde assurgit. Id in causa esse, cur in fretis, Magellanico, Herculeo, Siculo, Euboico, currat velocissime, sed attollat parum. Quod et nos in Ausserensi observavimus. At vero in Adriatico, in Ionio, in Aegeo, toto fere Africo, parum intumescit, intumescit tamen. Id nimirum fit ad littorum, tum profunditatis, tum æqualitatis proportionem. Nam sicuti profunditas magna in causa est, cur non affluat, brevitatis et inæqualitatis cur magni fiant affluxus, ita mediocris altitudo, et æqualis, in causa necessario est cur fiant mediocres. Idemque fiat, toto citetiore mundi novi littore. Sed in Mexicano sinu etiam aquæ crassitudo, et gravitas, coadiuvat, ut parum tumeat. Tradunt enim, aquam totam quæ eo sinu continetur reliquis esse crassiorem. Sed affluxus et refluxus quo nam fit modo? Nautæ omnes aiunt, eum a mari ad littora venire, refluxum a littoribus ad mare. Horum uter